



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Sacramentum Ordinis

Biesmann, Caspar

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Caput I. De castitate à Clerico majorum Ordinum vi voti solemnis perpetuò servanda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42240



PARS III.

De Obligatione Ordinatorum.

CAPUT I.

De castitate à Clerico majorum Ordinum vi voti solemnis perpetuò servanda.

Clerici in sacris Ordinibus constituti, obligantur ad perpetuam castitatem vi voti sacro Ordini annexi.

OMnes & soli Clerici in Majoribus constituti, non quidem jure divino, cum nullus textus S. Scripturæ hanc obligationem infinet, sed solo humano obligantur ad perpetuam totius vitæ castitatem mente & corpore servandam: Patet ex pluribus Canonibus & novissimè ex Trid. *Sess. 23. c. 13. de reform.* idque vi voti solemnis sacro Ordini ab Ecclesia annexi. *Dicast. Tract. 6. de Ordin. disp. 1. dub. 26. Sanch. & alii*

& alii plures. Ignorans hanc voti obligationē sacro Ordini annexam, nihilominus dicto voto adstrictus est. Quia prudens volens suscipiendo sacrum Ordinem, cui obligatio votendi annexa est, censetur virtualiter & re ipsâ vovere, quia vult id omne, quod tali Ordini annexum est. Dicast. l. c. Quod si suscipiens sacrum Ordinem nollit vovere castitatem, is quidem voto castitatis non obligabitur, quia votum est promissio essentialiter pendens à libera voluntate, peccabit tamen graviter peccato inobedientiæ, non emittendo votum præceptum ab Ecclesia. Qui in infantia suscepit sacrum aliquem Ordinem v. g. Subdiaconatum, modò post adeptum plenum usum rationis, vel post pubertatem, vel etiam post decimū sextum annum ætatis, ut vult Geb. Tr. 8. cas 20. sponte non ratificet suam ordinationem, non tenetur voto, quia ante

Quid si quis ignoret hanc obligationem.

Aut suscipiens sacrum Ordinem, nollit vovere castitatem.

Aut si ante sacrum Ordinem suscepisset.

hos ætatis annos non valet votum solemne castitatis religiosæ, adeoque nec probabiliter votum solemne casti-

Vel ex gravi metu injustè incusso.

tatis clericalis. Idem est dicendum de illo, qui, ex gravi metu injustè incusso, sacrum Ordinem suscipit. Cùm enim Ecclesia irritet Matrimonium, vel religiosam Professionem ex simili metu profectam, etiam probabiliter non volet subsistere votum solemne castitatis, ex jam dicto metu e-

Unicè commendatur amor & studium castitatis.

missum. Sanch. *de Matrim* l. 2. *dub* 29 Azor. Kôn. &c. Non possum hoc loco sine gemitu & cordis dolore, ex multorum turpi lapsu justè concepto, tacitus dissimulare, quin omnes sacris Ordinibus initiatos per sacrosancta Mysteria Corporis & Sanguinis Jesu Christi humillimè hortor ac rogem, ut castitatem velut sponsam unicè dilectam, quam Apost. *ad Hebr* 12. sanctimoniam appellat, sine qua nemo videt Deum: omni diligentia ac studio

dio

dio in se quisque illæsam con-
 servare allaboret. Hanc An-
 gelicæ vitæ imitatricem, spiri-
 tualem currum in sublime
 mortalium animos evehen-
 tem, rosam homines angelos-
 que boni odoris fragrantia
 suavissimè afficientem, hanc
 inquam, [neglecto turpi ac pu-
 tido amore humani corporis,
 sordium, ac fœtoris officinæ,
 quisq; initiatorū cum D. Ephr.
Serm. de cast. tom 1. his sine-
 rissimæ mentis affectibus pro-
 sequatur : O castitas, quæ
 mundo es corde ac dulci gut-
 ture, hilarique aspectu ! ô ca-
 stitas, quæ homines Angelis
 similes reddis ! ô castitas, quæ
 Dei amicum [castissimum Jo-
 seph, Ægypti Proregem] ita
 exaltâti in patria aliena, ut
 eos, qui emerant ipsum, redi-
 meret *Gen 39* ô castitas donum
 Dei, benignitatis, disciplinæ,
 cognitionisque plena ! ô ca-
 stitas, portus tranquillius in
 summa pace ac securitate con-
 stitutus, &c. Hæc omnis ho-

nestatis mater, ut in statu clericali illibata permaneret, solite sancivit Concil. Nic. cap. 3. & post illud Trident. Sess. 22. cap. 1. de reform. Nulli omnino, qui de Clero est, licitum esse domi suæ ullam habere mulierem, nisi fortè aut matrem, aut sororem, aut amatam, aut materteram, aut eas tantum personas, quæ suspiciones effugiunt. Nam ut rectè inquit Salomon *PROV. 5.* Novissima fallacis mulieris amara, quasi absinthium, & acuta quasi gladius biceps. Frequenter animo volve illud Hieron. *Ep. 2. ad Nepot.* Nec sanctior Davide, nec Sampson fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Eodem videtur respexisse Conc. Lateran. sub Innoc. III. c. 15. quando iussit omnes Clericos abstinere à crapula & ebrietate, utpote libidinis fomite ac nutrice, nequenquam ad bibendum incitari: & *cap. 16.* tabernas ac cauponas, aliáque ejusmodi loca

Pro casti-
tis integri-
tate studio-
sè conser-
vanda præ-
cipitur Cla-
ricis, ne do-
mi suæ ha-
beant ullá
mulierem,
nisi proxi-
mè cognatá
aut omni-
no non sus-
pectam.

Item ut
abstineant
à crapula,
ebrietate,
tabernis,
cauponis,
&c.

loca, quibus in Conc. Agathen-
 si *cap. 9 dist. 34* annumerantur
 convivium nuptialia, obsceno
 cantu, choreis, & saltibus fe-
 stiva, à Clericis vitari, nisi forte
 cauponæ & publica hospitia
 necessitatis causâ v. g. dum
 quis est in itinere, adeunda
 sint. In his enim locis non mo-
 dò sobrietas & pudicitia, ve-
 rùm etiam clericalis Ordinis
 dignitas & æstimatio pericli-
 tatur. Quoniam, qui omnibus
 ob divinum Ministerium ho-
 nori ac venerationi esse debe-
 bat, is ob frequentatas publi-
 cas tabernas & longam inter
 scyphos ac pocula moram,
 omnibus fit contemptui ac lu-
 dibrio. Siquidem D. August.
 teste, *lib. de Pœnit.* Ebriosus
 abominatur à Deo, despicitur
 ab Angelis, deridetur ab ho-
 minibus, confunditur à dæ-
 monibus, conculcatur
 ab omnibus.

* * *
 * *

E 7

CAPUT

Clericus
 potui dedis-
 tus, omnis
 bas fit con-
 temptibilis.